PRÆFATIO AD LECTOREM.

APPENDICEM *Atlantis* tabulis, typis, & ſcriptis prorſus novam, tibi *Benevole Lector*, exhibemus. Quæ quemadmodum novo fulget labore, ſic etiam te nova quodammodo oblectaret lectione. Quam propterea in lucem edi curavimus, ut eſſet in ſupplementum prioris ATLANTIS, quem antehac a nobis plurimi emerunt. Ad quod ſtudium varia rerum utilitas nos inſtigavit, qua omnibus non ſolũ præſentibus, ſed & futuris proſpicere voluimus. Præſentibus, ut nobis (quod facile contingere poteſt) vel in adjumentum majoris ingenii eſſent vel alacritatis; futuris, ut majora nobis ex induſtria rimata molirentur; ſic equidẽ, ut præſens ſeculum haberet quo ſe oblectaret, & futurum ex æmulatione audaciam occultæ ſcientiæ ſuæ aperiret. Nihil eſt enim humana mente inquietius, nihil volabilius, nihil profundius, nihil ad ſcientiæ curioſitatẽ inveſtigandam propenſius. Quocirca nullum eſſe tempus exiſtimavimus tam pretioſum, quod pretioſitate noſtrã induſtriam ab ejuſmodi incepto remotaretur. Cuilibet enim a natura inſitum, ut loca varia in hoc Orbe luſtrare cupiat, & luſtratis iis, vel oratione, vel ſtylo depingere, aliiſq; velut ſpectanda proponere, quæ nos æneis tabularum typis clarius exhibemus; ſiquidem magis intente detinet mentem pictura, quam ſola verborum elmenta. Certe, quemadmodum æternitatis divinæ aliquam imaginem conſequimur diſtincta verborum collectorũ obſervatione, quæ res quidem ad Chronologiam ſpectat; ita divinam immenſitatem quaſi adumbramus notitia Coſmographiæ, qua mediante, varia & quidem tam propinqua quam remota Orbis loca nobis innoteſcunt. Et non tantum labor noſter prudentibus & doctis in hoc ſudavit, ſed & rerum ignaris; ut ex varia locorum indagatione vel docere ignarum, vel priſcis operibus defeſſum recreare, vel tenere attentum Lectorem poſſent. Et hæc quidem ſtrictim breviterque: non enim animus fuit nimis remota obire verborum vel locorum agmina, verum potius illa quæ noſtræ ætati magis confinia ſunt, rejectis etiam variorum nominum obſcuritatibus, minus inconvenienter aliquando applicatis. Magis placuit rerum puritatem, quam earum obnebulationem eligere, & Terrarum Orbem emenſi, etiam Reſpublicas varias, cum variis Dominiis ac territoriis, hactenus in Germaniæ, Italiæ, Galliæ, aliarumque Regionum deſcriptione deſideratis, ſingulatim ex optimis Geographis & Hiſtoricis diſcernere. Quare autem tam diu hæc ATLANTIS *Appendix* delituit in obſcuro, factum eſt, quod non omnia tam ſubito ad manus habere potuerimus. Multa adhuc eorum erant ſub Geographorum induſtria, quamvis ea haberet ſparſim hiſtoriæ notitia; quæ ſimul a nobis primum magno labore & ſumptu acquiri, magnaque cum attentione diſcerni oportuit. Et quanquam ea circuli Geographici dimenſione, necdum tamen accuratiſſima tabularum conſtabant inciſione: quin quoque locorum deſcriptio variorum, & in bonum ordinem digeſtio, non minorem temporis moram flagitare videbatur. Non eſt exigui laboris, varia loca è oblivionis umbra eruere, tot ſeculorum rubigine involuta. Apponimus regionum tabulas non ſolum, ſed & in iis res geſtas & monumenta clariſſimorum hominum. Atque uti Provinciarum delineationem videre eſt amabile, ſic etiam in iiſdem facta & geſta legere non minus utile. Nam quid eſſet locorum emenſio & in certum limitem digeſtio ſine explicatione, niſi mutum proble-

 ma,